



**Quæstionum Canonicarum, In Quinque Libros
Decretalium, Tomus ...**

In Librum II. Decretalium, Per Triginta Titulos Distributum, In Quo Agitur
De Judiciis, Foro Competenti, Libelli Oblatione, Mutuis petitionibus, ...

Krimer, Ferdinand

Augustæ Vindelicorum, 1708

§. II. An valeat sententia, quam dedit Judex super libello inepto?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73001](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73001)

causa formet concludentem; & ita praxim habere, ex Andrea Gail. *observ.* 67. tradit Haunold. *tom. 5. tr. 3. num. 146.* secus illum admittere debet; nam in dubio pro intentione Actoris benignè præsumendum est, ut colligitur ex *L. 66. ff. de Judiciis*, ibi: *Si quis intentione ambigua, vel oratione usus sit: quod utilius ei est, accipiendum est.*

476. Ad. 2. Resp. tali casu litis instantiam esse dissolvendam, prout contigit Matthæo, de quo in dicto *c. Examinata*; cum enim, ut quis agat rei vindicatione, requiratur, ut Actor rem, quam vindicare intendit, non possideat, sed alius, qui vel actu possideat, vel saltem dolo possidere desierat, ineptè petebat Matthæus vindicare jus Patronatus; cum per articulos probatorios, seu probandos ab Actore fuerit unus, qui continebat, *Matthæum fuisse in possessione, Patronatus illius Ecclesie, quem vindicare cupiebat*; & hoc ipsum Actor per testes probaturum sese obtulerit. In eodem igitur Libello continebantur opposita. 1. quòd Patronatum non possideret, cum eum primum vindicare intenderit; 2. quòd eundem possideret; nam hoc per testes comprobare quærebat; quæ sunt repugnantia.

¶ II.

An valeat sententia, quam dedit Judex super libello inepto?

477. CASUS præsens habetur in *c. dilecti filii. 3. de Empt. & vendit.* Cum enim Canonici Beluacenses contra Abbatem Cariloci quererentur, quòd à quibusdam eorum Capitulo in communi nec sciente, nec consentiente Sylvam quandam emissent pro decem libris, quæ valebat 40. Marcas, eamque causam Pontifex Morinensi Episcopo, & Decano Remensi commisisset, & Episcopo impedito Decanus procedens per testes deprehendisset, Sylvam minus dimidiâ justii pretii parte comparatam fuisse; Canonicis Beluacensibus illam adjudicavit, eosque in possessionem induxit. Sed Pontifex re ad se rursus delatâ, quia in arbitrio emptoris est in hoc casu, si velit supplere justum pretium, aut venditionem rescindere, De-

cani sententiam, tanquam juri contrariam irritando, possessionem Monachis judicat esse reddendam, salvâ Canonicis contra Monachos manente quæstione super deceptione pretii, vel consensu Capituli non habito, & quavis aliâ rationabili causâ. Si enim attendamus causam, ex qua Pontifex sententiam illius Delegati, tanquam juri contrariam, consequenter nullam declaraverit, est, quòd, prolata sit super libello inepto, eò quòd petitio ex illa gravi læsione determinatè continebat nullitatem emptionis; cum continere debuisset vel declarationem nullitatis, vel supplementum pretii; nam dicta læsio, tanquam legitima causa petendi, non inferebat determinatè illam partem; sed vel hanc, vel illam, ut constat ex ipso textu.

478. Et ratio est, quia, cum Judex debeat pronuntiare conformiter ad petitionem in libello non utcùnque, sed ex causa debendi, expressâ in eo tanquam illativâ debiti, malè pronuntiat, deberi hoc determinatè; quando causa debendi non infert hoc determinatè; sic enim potest stare veritas causæ, & falsitas illati. Malè enim arguit Actor: tu me in hoc contractu emptionis læsisti ultra dimidium; ergo contractus est nullus, vel; debet declarari nullus; potest enim antecedens esse verum, & consequentia falsa; quia antecedens non connectitur determinatè cum nullitate contractûs; sed vel cum hac, vel cum supplemento pretii; ergo si Judex pronuntiet determinatè super illa conclusione Libelli, pronuntiat super falso, non minus quàm Actor concludat super falso; ergo pronuntiat nulliter.

479. Ex hoc *c.* deducitur præterea, si Venditor rei deceptus est ultra dimidium justii pretii, posse illum agere, vel ad supplementum justii pretii, vel ad restitutionem rei; esse tamen in arbitrio Emptoris, vel rescindere contractum, vel supplere pretium; quæ electio Venditori non competit; ut constat ex dicto *c. dilecti filii*; consequenter, Actorem, qui ex causa talis deceptionis agit, in libello conventionis, ne ineptus sit, debere petere alternativè, vel rescissionem contractûs, atque adeò restitutionem rei, vel justii pretii supplementum; sic P. Ferd. Rebellus de oblig. Justitiæ, *p. 2. l. 9. q. 2. Sect. 3.* Joan. de Salas de Contract. *tr. 1. de Empt. d. 27. & alii.*

ARTI-